

V. *Observationes duæ variores, ex Literis Viri Doctissimi Johannis Huxham, M.D. ad Jacobum Jurin, R. S. Secr.*

O B S E R V A T. I.

*Ingens Omentum.*

VETERANI cujusdam Militis uxor dolore colico & vomitu diu laboraverat, quibus supervenit ventris tumor durus, qui auctus indies magnam in molem excrevit. Jam evomuntur omnia, bilis atra, sincera, tandem & ipsæ fœces alvinæ. Dolor vero persæpe immanis in sinistro præsertim hypochondrio, fatus, cathartica, enemata, anodyna, plurima Pharmacopoeio *Collins* adhibentur; incassum omnia; permanet dolor, increffit usque tumor, digitorum pressui haud magis cedens quam si lignum fuisset. Ex hocce tumore plura quasi tubera enata sunt, quorum unum alterumve caput puerile, alia pugnum virilem, magnitudine æquabant: eminebat autem maximum in sinistro hypochondrio, ubi gravissimum persensit dolorem, ita ut sæpius exclamaverit se voluisse tumorem ibidem loci fore perfoffum. Increffente tumore facta est valde dyspnoica. Tanta tamque atrocita per menses fere 14 perpeffa fuerat mulier, cum tandem grata venit morborum requies, mors.

Mihi enarravit casum Pharmacopola, rogavit insuper ut viscera inciso abdomine inspicerem, quod cum alio medico feci perlubens.

Nudato

Nudato cadavere montosum observavimus ventrem ; reliquum vero corpus summa macie confectum. Secto abdomine in conspectum se dedit ingens quasi sebi massa (nisi quod colore fuit minus alba) totum ventris cavum adimplens, ita ut nec ventriculus, nec jejunum, neque intestina apparerent ulla ; adhæserat enim omentum hoc enorme peritonæo pluribus in locis, in utroque præsertim hypochondrio, ubi & latior & firmitior fuit cõhærentia. Secto autem in modum crucis peritonæo, & ab omento separato, conspeximus illum in pelvim fere detrusum, omentum etiam toti jecinoris cavo annexum, ventriculum hac mole oppressum, uti & duodenum, colon & jejunum : cum adiposo renum involucrio (sinistro præcipue) connexum & quasi confusum fuit ; adeo ut colon, altius paulo quam in rectum definit, sebo hocce concreto fuit penitus involutum, hinc fœcibus præclusum iter, hinc illæ lachrymæ, hinc dolores illi sævissimi, quibus ante mortem excruciatâ fuerat mulier : & ut hic obiter notem, per plures dies ante mortem nec sua sponte nec vel clysmatibus acerrimis irritata alvus fœces dejecerat ulla.

His lustratis ingens separavimus omentum à jecore, ventriculo, schirroso pancreate, intestinis, tandem & à mesenterio, & ab interna peritonæi lamina renibus instrata. Splen fuit hac massa quodam modo demersus, contractior & quasi coriaceus. Hunc quasi sebi montem exemi denique & per famulum nostrum domum misi : erat autem animus omentum hoc morbidum accuratius perspiciendi, cum jam enim advesperasceret defuit opportunitas.

Pendebat omentum hocce  $\text{Æ xvi} \frac{1}{2}$  *Avoird.* nec tamen abstulimus unam saltem alteramve libram partibus adhærentem. Pondus hercle maximum ! Si consideremus ex obese homine omentum vix libras pendere tres, majus certe inveni antehac nunquam, quanquam

quanquam & fecui & dissecta vidi plurima hominum cadavera. Fateor equidem longe majus à *Gregorio Horstio* in suis observat. memoratum fuisse, majus etiam in *Ephemerid. German.* ann. x. veruntamen hoc quoque nostrum monstris annumerari merito debet.

Hujus & in extima parte, nec non in interiore substantia, plura observavi vasa sanguinea, eaque certe maxime dilatata, quorum aliqua penna anserina majora, aliqua vero quasi in aneurismatibus terminantia. Ex horum aneurismatum (si ita dicam) maximo uncias circiter sex nigricantis sanguinis extraxi cum quibusdam grumis albidioribus; anne adipis particulæ à venis epiploicis absorptæ atque morbo congelatæ?

Ex plurimis lobis conflare mihi videbatur massa hæcce, sibi invicem arte hærentibus; aliquos tamen separavi, quorum pauci panno minori fuere magnitudine æquales, forma haud absimiles. Media hujus pars, cætera durior, cultro haud facile cedebat.

In isthoc cadavere sequentia etiam fuere observatu digniora. Inferior hepatis pars in schirrum abierat. Ex vesica fellea plures exemi calculos, carbonem fossilium colore referentes, friabiles, aquam innatantes, quos bilem haud improprie nominares splendidam; his quippe quum inerant plurimæ particulæ micantes, haud dubio salinæ.

Mesenterii glandulæ fuere schirrosæ, imo quædam in substantiam pene lapideam induratæ. Intestina tenua fuere inflammata, colon cum cæco fere totum gangrena correptum, etiam processus ipse vermicularis.

Ren uterque fuit sanus satis: dexter autem emisit ureteres duos: cum vero renem dissecuisssem, percepi facile, quid esset in causa, cur ureter hic fuit duplex. Renis enim pelvis septo quodam fuit divisa, digitum transversum

transversum crasso, ejusdem perfectè substantiæ cum reliquo renis parenchymate.

Hic fuit ren quasi duplex, cui duplex pelvis, ureterque duplex.

Erant in imo abdomine feri subcruenti libræ quasi duæ.

Malum hoc immedicabile penitus visum est, nisi quis morbi principiis obstitisset.

## O B S E R V A T. II.

### *Salivæ Color insolitus.*

**D**Ominus *Fox*, quadragenarius, gracilis, biliosus, per mensem unum alterumve elanguerat, nausea, ictero & doloribus colicis vexatus: tandem ex epoto largiter vino pomaceo vehementissimo colices paroxylmo correptus me consulit, Vomitabat omnia, urinæ parum reddebat coloris lixivii, quæ sedimenti plurimum deponebat subviridis.

Ego statim illi potionem ex Ipecac. emeticam propinari jubeo, infuso dein C. Bened. affatim hausto plurima viscosa, biliosa, rejecit: tum enemate Terebinth. injecto alvus bis terve respondit. Ex sumpta mistura anodyna vomitus & tormina comprimuntur; jam de languore summo & abdominis distentione conquestio; paulo etiam post recrudescit dolor. Bolum præscripti ex Jalap. ʒj. Calomelan. gr.viij. Spec. Diamb. gr. vj. Laud. solid. gr. j. Syrup. de Sp. Cerv. q. s. quam primum sumend. cum Tinct. sac. ʒij. Hinc omnia pacata. post horas 12 ter fundit alvus perliquida, biliosa. Ex sumpto dein haustu anodyno nox tranquilla. Mane de dolore & faucium tumore queribundus crassa, subfusca, expuebat; mox abunde effluit saliva colore viridissima, bili porraceæ quam simillima, nisi quod tenuior. Perduravit fluxus hic salivæ viridis horas quasi

quasi 40, quo tempore sputavit quantum vix caperent sextarii duo: ad flavedinem dein vergebat color fluoris eo usque dum ad instar solutionis Gut. Gambæ evasit: quantitas autem aucta potius quam diminuta.

Perstitit & hicce color per horas etiam quadraginta, dein sensim pellucida facta est saliva, atque subito, uti oborta est, evanuit penitus salivatio.

Intra biennii spatium bis terve in icterum inciderat ante hujus morbi accessionem. Decem abhinc annis maxima salivatio sponte erumpens hunc ipsum hominem in summum vitæ discrimen intulerat; salvus autem evasit ope doctissimi expertissimique Medici, D. D. *Pyne*. Tunc vero temporis ne vel si hilum sumperat, nec ullo modo fuerat colorata saliva.

In hac historia observatu haud indigna quædam occurrunt. Salivatio nempe sponte exuscitans, vel ex tantillo forsitan Calomel. excitata. Calomel autem probe paratum novi, quippe qui plurimas ejusdemet doses, quarum aliquas ad scrupul. integrum, exhiberi jufferam, ne vel minimo sequente salivationis signo.

Occurrit porro, quantum ego saltem scio, salivæ inauditus color. Saliva viridi ita penitus tincti erant dentes & fauces quasi ærugine obducti fuissent: permansit dentium color viridis quatuordecim post diebus quam convaluit.

Notandum præterea fluxum hunc salivæ fuisse criticum, quo judicatus est & icterus & colicus morbus; ab inceptante enim salivatione ne vel minimus dolor ventris, & color cutis subviridis sensim evanuit, urinam etiam reddidit copiosius; sed subnigram. Ille vero, qui ante hunc fluxum valde languidus fuit & jam quasi moribundus maximum salivæ evacuationem.

*εὐρέως φέρει.*

Serum Ictericorum tinctum esse bile omnibus notum est: nec alicui forsitan videatur magis mirandum serum

ferum flavum posse per glandulas salivares excerni quam per serosa cutis vascula, quod tamen ictero laborantibus contigisse sæpius observavimus, admoto prius epispastico: de urina biliosa nil dicam. Unde vero color salivæ viridis haud ita facile dictu. Hujus opinor ego causam procatarticam esse pomacei vini potationem.

Bili si miscueris acidum color oritur viridis. Hinc torminosæ infantum dejectiones virides, lacte in ventriculo acescente. Hinc porracea bilis. Ponamus jam acidum pomaceum a venis lacteis vel & a mesarais forsan, absorptum, seroque sanguinis bilioso permixtum: quid eveniret inde? Credo equidem flavi ferri coloris in viridem permutatio. Profiteor hercle, acida quæcumque a vi corporis vitali in alcalinam naturam mutantur, etiam ipsum vitrioli acidum: languescuntibus autem viribus, concoctione læsa lymphæ effœta facta, facta & inerte bile, queis adde sanguinem tardius circulantem, acida parum subacta, nec in primis viis, nec in ipso sanguine, acidam exuunt naturam. Hoc testantur acidi debiliùm sudores, acidusque in ore sapor a febribus inflammatoriis convalescentium, quibus ad restinguendam febrem largius fuerat exhibitus acidus potus. Sæpius certe memini me vinum pomaceum largiter potasse brevique urinam ipsissimum potus odorem spirantem reddidisse. Curabam nuperrime mulierem summa hæmorrhagia, durante diu, correptam, cui inter cætera plurimum fuerat exhibitum Elix. Vitriol. Mynsich. cessavit tandem hæmorrhagia, debilis autem inde reddita mulier incidit in leves spasmos, artuumque dolores, ventris tormina diarrhœa comitante, plures excrevit alvus dejectiones viridissimas, stercoris vaccini simillimas, talesque per plures dies, quanquam Rhabarb. fuerat ter exhibitum ad expurgandas acidi particulas, intestinis

adhærentes. Hic sal acidus sanguini immixtus, post dies plures iterum è sanguine per intestina rejectus est, vi vitæ nullo fere modo subactus.

Microscopio olim observavit *Leeuwenhoekius*, quod chyli sales acidi a bile retundantur & comminuantur, quum vero in jecore subsistat obstructa bilis, integris viribus vasa lactea permeat acidum. In ægroto autem nostro bilem obstructam fuisse, patuit inde, quod alvus fuerat compressior, & fœces ante vomitum medicamento commotum reddidit albidas.

Hypothesis fortasse nostra illustretur magis, si perpendamus unde oriatur virginum *νεχελών* color herbeus (ut cum *Plauto* loquar). His enim fructus immaturi, acetum atque id genus alia, summæ sunt cupiditæ, vitiatæ autem concoctionis organæ, parum immutata sanguini miscentur, bilemque & sanguinem obruunt acido. Hinc glandulæ obstructæ; hinc facies ex viridi pallida, tumor hinc hydropicus; atque quod non levis est momenti jecur schirrosus ex chlorosi præmortuarum sæpe inventum fuit viride. Jam paucis restat dicendum unde colori salivæ viridi successit color flavus, quod inde factum arbitror, quia post acidum a sanguine partim ablegatum, partim & a motu sanguinis, ob cardiaca exhibita, aucto destructum, superfluit solum superflua bilis sanguine expellenda, quod & brevi secessit, referatis bilis poris, & per patulos salivæ ductus mirandum in modum excreta.